



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

**Parisiis, 1644**

VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14584**

## VII.

*Sancti Joannis Constantinopolitani episcopi & confessoris in homilia de cruce & latrone*: Sed cur cum cruce veniat, videamus. Scilicet ut hi qui eum crucifixerunt suæ sentiant dementiæ cæcitatem: & ideo impudentiæ eorum signum portatur. Ideo propheta ait: *Tunc lamentabuntur omnes* Zach. 12. *tribus terræ, videntes accusatorem, & agnoscentes peccatum.* Et quid mirum est, si crux portans adueniet, quando & vulnera corporis ipsa demonstrat? *Tunc enim ( inquit ) videbunt, quem \* confixerunt.* Et sicut post resurrectionem, Thomæ voluit diffidentiam confutare, & illi clauorum loca monstrauit, & lateris vulnera declarauit, & dixit: *Mitte manum tuam, & vide quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me vides habere: sic & tunc ostendet vulnera, crucemque demonstrabit, ut ostendat illum se esse qui fuerat crucifixus.* Item eiusdem in homilia de ascensione Domini: Nam sicut duobus iurgio separatis, unus in medio positus altercantum litem discordiamque dissoluit: ita & Christus nobis fecit. Deus nobis iuste irascebatur, & nos contemnebamus iratum, & clementem Dominum declinabamus: & se medium Christus ingressit, & sociauit vtramque naturam, & nobis quod imminebat supplicium ipse sustinuit. Item eiusdem in eadem homilia inter cetera. Christus igitur nostræ naturæ primicias obtulit Patri, & oblatum donum miratus est Pater, quod & tanta dignitas offerebat, & quod offerebatur, nulla macula fœdabatur. Nam & suis manibus suscepit oblatum, & suæ sedis fecit esse participem, & quod plus est, ad partem suæ dextræ collocauit. Cognoscamus quis est ille, qui audiuit: *Sede ad dexteram meam: quæ natura* Psal. 109. *est cui dixit: Esto meæ particeps sedis. Illa natura est quæ audiuit: Terra es, & in terram ibis.* Item eiusdem in eadem homilia inter cetera: Quo sermone vtar, quo verbo dicam reperire non possum. Natura fragilis, natura contempta, & omnibus monstrata deterior, omnia vicit, omnia superauit, & omnibus hodierna die meruit excelsior reperi. Hodie angeli diu vota desiderata receperunt, hodie archangeli quod multo tempore cupiebant, inspicere valuerunt. Naturam nostram ipsi in sede dominica immortalis fulgentem gloria peruerterunt.

*Concil. Tom. 7.*

Ii

Luc. 24.  
Ioan. 19.  
Ioan. 20.